

**CATALO=**  
**GVS**  
**ROMANORVM**  
**IMPERA=**  
**torum.**

**ADDITI SVNT ET**  
**Germanici Imperatores, de=**  
**scripti uersibus à Geor=**  
**gio Sabino.**

**ANNO.**

**1553.**



IVLIVS CAESAR AN  
NOS III.



RIMVS APVD

Romanos post exactos re-  
ges, anno ferme ( si Euse-  
bio credimus ) 464. sin-  
gulare arripuit Imperium.  
Suntq; illi, qui terrarum or-  
bem ciuili sanguine imple-  
uerat, exquisitissimi honores à Senatu Romano  
decreti, qui eius exitio uiam pepererunt. Ac-  
cessit inuidiae immoderata arrogantia, Regiaeq; ap-  
pellationis libido, à paucis itaq; orta coniuratio  
paulatim in plures serpsit, ut 60 amplius Senato-  
res in eius mortem conspirarint, à quibus 23  
confossus uulneribus, perijt.

OCTAVIVS AVGVSTVS

ANNOS LVI.

Ivlj Caesaris nepos & per adoptionem filius, pulsus ac interfectis parricidis tyrannisq; Rem-  
pub: usurpare conantibus, monarchiam orbis ter-  
rarum est adeptus, Augustiq; cognomen à Senatu  
recepit, pace toto orbe facta, Ianum, quod bis

A ij ante

antea factum erat, clausit, tandem Nola siue morbo, siue Liua dolo, moritur.

Iesus Christus nascitur anno 42. principatus Augusti Caesaris.

### TIBERIVS NERO ANNOS XXIII.

Augusti priuignus & heres, fuit liberalium disciplinarum, graece & latine doctus, uiniq; adeo auidus, ut Caldius Biberius Mero, per iocum sit nominatus, perijt in uilla Lucullana.

### C. CALIGVLA ANNOS III.

Tiberijs nepos, homo fuit omnium scelestissimus, Nil enim domi uel foris strenue gessit, auaricia omnia expilauit. Sororibus suis stuprum intulit, domestica coniuratione oppressus, moritur.

### TIBERIVS CLAVDIVS ANNOS XIII.

Patruus Caligulae magis casu quam hominum

minum consilio, Imperium est adeptus. Graeca & latina studia insigniter coluit. Saeuus fuit & timidus, ab Agrippina uxore boletis ueneno illitis, necatus.

### NERO ANNOS XIII

Caligulae auunculus, fuit omnium flagitiosissimus, magnam Senatus partem, Senecam praecceptorem, matrem, Christianos insuper multos, ultimo affecit supplicio, à Senatu tandem hostis iudicatus, cum ad poenam quaereretur, fugiens seipsum interfecit.

### GALBA MENSES VII.

Claris ortus natalibus, auito omine, tum Augurum responso, spem Imperij, quod tandem est in Hispania adeptus, ab initio secum tulit, in foro Romano, insidijs Ottonis iugulatus.

### OTTO DIES LIX.

Viuo adhuc Galba, Imperator est saluatus. Verum ut à supplicijs & terroribus, Imperium est auspicatus, ita parum illi fuit foelix exitus, pugione namq; seipsum traiecit.

## VITELLIVS MEN.

SES VIII.

In Germania est ab exercitu Imperator factus  
lutatus, Qui non ita multo post miserrime perijt.  
Namq; à Vespasiano quodam tribuno, religatis  
post terga manibus & laqueo ceruicibus iniecto,  
nudus ad Gemonias ducitur scalas, ubi excarnificatus  
in Tiberim projicitur.

## VESPASIANVS AN. IX

E Flauia obscura gente ortus apud Iudeam  
ab exercitu Imperator creatus, Vir fuit bellicis  
rebus clarus. Iudeam cepit, Hierosolimam euertit,  
in agro Reatino è uiuis decessit.

## TITVS ANNOS II.

Acceptit per manum a patre Vespasiano Im-  
perium, amor & deliciae humani generis cogno-  
minatus, ita liberalis fuit, ut nulli quicquam nega-  
ret, Febre correptus ingenti omnium luctu, na-  
turae concessit.

## DOMITIANVS

ANNOS. XV.

Neronis

Neroni aut Caligula similior fuit, quam pa-  
tri Vespasiano, aut fratri Tito, eo dementiae uenit,  
ut se Dominum ac Deum uocari, scribi, coliq;  
iusserit. Secundus post Neronem Christianos per-  
sequitur. Suorum tandem coniuratione interse-  
ctus.

## NERVA AN. I.

Moderatae uitae tum publicae tum priuae fu-  
it, Senex admodum suscepit Imperium, sub cuius  
principatu Romanae res ad prosperrimū redijt sta-  
tum, Obijt annos LXVIII. natus.

## TRAIANVS AN. XIX.

Adoptiuus Nerae filius, genere Hispanus,  
hic alioqui optimus princeps, tertiam in Christia-  
nos persecutionem concessit, quae tamen Plinij se-  
cundi beneficio, nonnihil cessauit. Perijt profluuiis  
uentris.

## ADRIANVS AN.

NOS XXII.

Consobrinae Traiani filius, primo quidem  
Christianis est aduersatus, postea uero cognita eius  
religionis honestate & pietate, in eos fuit beneficus  
utraq; etiam lingua eruditissimus habitus, morbo  
intercutaneo moritur.

A iij

Antoninus

## ANTONINVS PIVS

ANNOS X XIII.

Cum filijs Aurelio & Lucio, tanta modestia imperavit, ut merito Pij cognomentum sit adeptus, ac pater patriæ appellatus. Hic etiam religione, pietate, iusticia, cum Numa comparari potest. Decessit uita in suburbano suo.

## MARCVS ANTONINVS

ET L. VERVS AN. XIX.

Duo fratres, ab Antonino pio adoptati, primi Romæ aequo iure imperarunt, L. apoplexi extinctus, M. fato defunctus, magnum hominibus sui reliquit desiderium.

## ANTONIVS COMODVS

ANNOS XIII

Marci Antonini filius, omnibus fuit incommodus, tantaque omnium execratione imperavit, ut etiam mortuus humani generis hostis iudicatus sit. Strangulatus in domo Vestalium.

## ELIVS PERTINAX

MENSES, VI.

Septuagenda

Septuagenarius, ex praefecto urbis, Senatusconsulto Imperator creatus, a Iuliano iurisperito in palacio occisus, quem & ipsum Imperium occupantem, Seuerus, uictum bello, interfecit.

## SEVERVS AN. XVIII.

Genere Apher, uehemens ac ferox, uitaque insuetus duræ, qui quintus à Nerone persecutionem in Christianos mouet, continuo uarijs periculis & bellis distractus, apud Eboracum Gallia moritur.

## BASSIANVS AN. VI.

Seueri filius, sumpto Senatus iussu, Antonini nomine, Imperio potitus est, ac Caracallæ cognomentum accepit, nullum facinoris genus in uita pretermisit, dum bellum in Parthos mouet, ab hostibus circumuentus occiditur.

## MACRINVS AN. I.

Bassiano caso ab exercitu Imperator creatur. Senatus populisque Romanus id suo assensu ratum fecit. Sordido loco natus, sædo carnifici; fuit ingenio. In Archelaidæ à militibus obruncatus.

A 5

Helio

**HELIOGABALVS AN.**

**TONINVS AN. IIII.**

*Basiani ex scorto vulgatissimo filius fuisse putatur, nullam de se nisi omnis obscœnitatis memoriam reliquit, tumultu militari necatur.*

**ALEXANDER AN. XIII.**

*Duodecim annos natus Imperator creatur, unicum fuit uirtutis exemplar, pecunias omnino contempsit, gemmas ut res muliebres reiecit, Maximini iussu cum matre Mammea cæsus.*

**MAXIMINVS AN. III.**

*Primus ex corpore militari neglecta omni Senatus autoritate, Imperator electus, fuit ingentis stature uir, Christianiq; nominis inimicissimus, Sextam in Christianos persecutionem exercuit. Aquilæ à Pupieno trucidatus.*

**GORDIANVS AN. VI.**

*Clara familia ortus, ab ipso Senatu, Imperator salutatur, cum Parthos iam crumpentes ingenti clade affecisset, ad triumphum rediens à Philippis necatur.*

**PHILIPPVS CVM FILIO**

**PHILIPO ANNOS. VI.**

*Fuit pater Philippus Arabs, militum studio ad Imperium euectus, cui Senatus id ratum fecit. Idem Augustorum primus, Baptismo insignitus, Christi est nomen professus, ambo opera Decij interfecti sunt. Sub horum imperio Millefimus Ro. urbis annus magno ludorum apparatu est celebratus.*

**DECIVS AN. I.**

*E Pannonia inferiore natus, sumpto imperio, edictum proposuit, ut Christi cultores ubiq; necarentur. Dum prælium in Barbaros ciet, palustri uoragine obrutus, periit.*

**GALLVS HOSTILIA.**

**NVS CVM ELIO VOLV-**

**SIANO AN: II.**

*Sublato Decio, Gallus Imperio potitus, Volustanum filium consortem fecit imperij. Verum dum contra Emilianum res nouas agitantes, bellum civile moliantur, ambo interfecti sunt.*

**VALERIANVS ET GA-**

**LIENVS. AN. XV.**

*Valeriana*

Valerianus in Rhetia ab exercitu, Galienus  
Romæ a Senatu, Imperatores electi, Valerianus  
Octavius à Nerone Christianos persequitur, a Per-  
sis captus, in seruitute misera uixit, Galienus Me-  
diolani occiditur.

### CLAVDIVS. AN. I.

Detulit Claudio Imperium militaris fauor. Gothos  
incredibili clade superauit, quare in curia aureus  
clipeus, in Capitolio aurea statua eidem est à Se-  
natu decreta, morbo correptus, apud Syrmium  
moritur.

### AVRELIANVS AN. V.

Vir militari disciplina excellentissimus, pri-  
mus apud Romanos diademate, gemmis & aura-  
ta ueste usus, Nonam in Christianos persecutio-  
nem fecit, De cælo tactus occubuit,

### TACITVS MEN. VI.

Vir grauis singulariq; eruditione, à Senatu  
Augustus est appellatus. Tunc enim primum Res-  
publica uelut longo postliminio reducta suo iure  
ac iudicio usa est, in Ponto militari tumultu casus.

Probus

### PROBVS AN. VI.

A militibus electus, per Senatum confirma-  
tur, ita se in Imperio gessit, ut res ipsa nomen se-  
queretur. Apud Syrmium tamen, uir acer & uir-  
tus, tumultu militari occiditur.

### CARVS AN. II.

Narbonensis fuit, filios duos Carinum &  
Numerianum Casares fecit, ipse fulmine ictus  
moritur. Numerianus Apri soceri sui fraude ne-  
catur. Carinus probris omnibus contaminatus, à  
Diocletiano uictus trucidatur.

### DIOCLETIANVS

ANNOS. XX.

Ab exercitu Imperator electus, cum bellis  
undiq; circumstrepentibus solus tot periculis resi-  
stere non posset, Maximianum Herculum Au-  
gustum, Constantinum uero & Maximianum Gale-  
rium, Casares creat, pacatis undiq; rebus. Dio-  
cletianus in Oriente, Hercules in occidente, uas-  
tari Ecclesias, interfici Christianos mandant. Dio-  
cletianus, deposito imperio priuatus uiuens, uenenò  
perijt. Idem fecit & Hercules, qui in sania mentis  
percitus, seipsum tandem interemit,

Romanum

ROMANVM IMPERI-  
um in Orientale & Occi-  
dentale diuiditur.

MAXIMIANVS GALE-  
RIVS ET CONSTANTIVS  
ANNOS. XX.

Abdicantibus se ab Imperio Diocletiano & Hercu. Imperium suscipientes, prouincias inter se sunt partiti. Galerius Caesares duos legit, Maximinum & Seuerum. Huic Italiam obtinendam, illi orientem, attribuit. Illiricum ipse retinuit. Constantius Eboraci moritur. Seuerus Rauennae occiditur, cui Licinius successit, à Constantio, bello uictus, trucidatur. Galerius propria manu occubuit. Maximinus apud Tarsum miserrime perijt.

CONSTANTINVS MAG-  
NVS AN. XXX.

Constantio patre mortuo, magno militum fauore Imperator est salutatus, quo in Gallia imperante, Romae milites Praetoriani, Maxentium Augustum appellant, qui à Constantino graui prelio uictus, submergitur. Sub hoc tandem prin-  
cipe

cipe Christiani, à Tyrannis antea oppressi nonnihil respirare ceperunt, qui cum esset augenda Christianae rei cupidus, multas Basilicas extruxit, quas & liberaliter dotauit. Imperij sedem Constantinopolim traduxit, à Siluestro Romano Pontifice, sacro fonte lotus, Nicomediae diem obiit.

CONSTANTINVS, CON-  
STANTIVS ET CONSTANS  
ANNOS. XXIII.

Filij magni Constantini, cum quibus & Dalmatius Caesar patruelis imperauit, tumultu militari occisus. Constantinus contra fratrem Constantem inconsulte dimicans, occiditur. Constans fraude Magnentij interficitur. Constantius apoplexia est extinctus.

IULIANVS AN. II.

Apostata cognominatus, subito militum fauore Imperator est salutatus, callidus fuit Christianorum persecutor, praemijs enim, honoribus & persuasionibus, multos ad Idolorum deflexit cultum. Sunt qui scribunt hunc sagitta ex incerto missa transfixum, manibusq; in caelum tensis exclamasse, uicisti Galileae (Christum significans) uicisti.  
Iouinianus

**IOVINIANVS MEN. VIII.**

Ab exercitu Imperator electus, non prius profiteri imperatoris nomen uoluit, quam omnes conclamarent Christianos se esse, cruditate stomachi, siue tetro prunarum odore, moritur.

**VALENTINIANVS**

ANNOS. XIII.

Militum omnium consensu Imperator creatus, Christianæ pietatis cultor, Valentem fratrem, in Imperij consortem accepit, ipse aplexi moritur. Valens Arrianus, Christum perplexus, à Gothis concrematur.

**GRATIANVS AN. VI.**

Filius Valentini, religione clarus, militiæ strenuus, Poeta & Orator haud vulgaris, Italiam ab Ariana labe purgavit, & ad ueram Christi fidem redegit, à Maximo, in Britannia Tyrannidem occupante, interfectus.

**THEODOSIUS AN. XI.**

Hispanus, uir fuit clarissimus, à Gratiano socius eius ac Imperij comes delectus, multis uarijsq; prelijs Gothos afflixit, singulariq; consilio & celeritate

celeritate usus, Maximum occidit, ipse apud Mediolanum diem clausit.

**ARCADIUS ET HONORIUS**

RIVS ANNOS XIII.

Fratres, filij Theodosij paribus auspicijs, diuisis tantum sedibus, imperauerunt, Arcadius enim orientem, Honorius occidentem gubernabat, Arcadius Constantinopoli moritur.

**ROMA A GOTTHIS, ALA**

rico Duce capta est, Anno

Domi. CCCC XII.

**HONORIUS ET THEODOSIUS**

AN. XVI.

Imperium occidentale per manus patris Theodosij, Honorius accepit Republicam ut cupiebat, pacatam relinquens. Romæ uita exemptus est, iuxta Beati Petri atrium sepultus.

**THEODOSIUS**

ANNOS. XXX.

Honorij patris morte comperta, Valentianum

ianum amite filium, Caesarem creatum, ad regendum occidentis imperium misit, ubi à milite confossus interiit, Theodosius apud Constantinopolim, in oriente enim imperabat, diem obiit.

### MARTIANVS AN. VII.

Humili genere natus, orienti praeficitur, fauente Pulcheria Arcadij filia, arma nunquam nisi prouocatus motuit, quietis amator, quietum orientem habuit, suorum, conspiratione peremptus.

### ROMA A VANDALIS Gensirici Regis ductu capta est & direpta, Anno CCCCLVI.

### LEO AN. XVI.

Primus ex Graeca natione, in locum Martiani susceptus, statim filium suum eiusdem nominis Augustum creat, qui non ita multo post graui morbo oppressus, Zenoni imperium reliquit.

Occidentis Imperium, hoc tempore à varijs Tyrannis occupatum, in Augustulo tandem defecit,

defecit, annis CCCXXX. Itaq; qui sequuntur, usq; ad Carolum Magnum, orienti solum praesuerunt.

### ZENON AN. XVII.

Isauricus, humilibus Parentibus natus, humili & incognita Villa, moribus & uultu deformis, Imperauit non ut Augustus sed ut Tyrannus. Constantinopoli uitam finiuit.

### ANASTASIVS

ANNOS XXVI.

Imperium à patre Zenone per manus accepit, malo, ut credi par est, ingenio actus, in diuinis praecipit non trinitatem sed quaternitatem adorandam esse, ictus fulmine occubuit.

### IUSTINVS AN. IX.

Thrax fuit ignobilis, à teneris annis suum custos, deinde Boum, post lignarij cuiusdam minister, orthodoxae fidei cultor fuit obseruantissimus. Iustiniano consorte imperij facto, quarto post mense decessit.

### IUSTINIANVS

ANNOS XXXIX.

Iustini superioris ex sorore nepos, reparando  
B ij imperio

Imperio, ubi Imperator factus esset, animum ad-  
mouit, hostes multos deuicit. Romanarum legum  
immensam conieriem in breuiorem redegit for-  
mam, Superuacua & inutilia refecans, tandem  
morbo affectus, non sanus mente decessit.

**ROMA A GOTTHISTO**  
tila Rege capta, direpta, incen-  
sa, moenibus & habitatore  
est nudata.

**IUSTINVS IUNIOR**  
ANNOS. XI.

Iustiniani ex filia Nepos, cui in nulla re simili-  
tis cum totus auaricie inhereret, libidine habendi  
in insaniam uersus, pedumq; dolore grauiter labo-  
rans, Obijt mortem.

**TIBERIVS AN. VII.**

A Iustino per adoptionem in filium & regni  
haeredem susceptus in quo ea fuerunt ornamenta,  
que in optimo principe desiderantur, potissimum  
erga pauperes liberalis fuit, ob id Largis à Deo  
donatus opibus, bona pace quieuit.

**MAVRICIVS AN. XX.**

Cappi

Cappadox fuit, a Iustino, cuius Notarius erat,  
Praefectus uigilum factus, inde Tiberij gener, dum  
militibus ob nimiam auariciam, stipendia aut nulla  
aut rara daret, ab illis est iugulatus.

**PHOCAS AN. VIII.**

Ab exercitu Imperator creatus, magnam  
spem initio de se praebuit, sed omnes fefellit opi-  
nio, uno tandem laudem meruit. Sanxit enim ur-  
bem Romanam, eiusq; Episcopum, totius Ecclesis  
esse caput, à coniuratis obruncatus.

**HERACLIVS AN. XXIX.**

A Sergio Constantinopolitano Pontifice,  
diadema sumpsit eadem que die Fabiam Eudociam  
duxit uxorem, deuictis Persis, crucem domini-  
cam Ierosolymis reduxit, Hydropisi perijisse fer-  
tur.

**CONSTANTINVS**

ME NSES. IIII.

Filius fuit Heraclij ex Fabia uxore, Regnum  
à patre accepit. A nouerca Martina, quam pa-  
ter, Fabia mortua, duxit, ueneno sublatus.

**HERACLEON AN. II.**

B 3

Hera

Heraclij ex Martina filius, Constantino sublato, cum matre Imperium arripuit, Senatus populusq; Constantinopolitani cognito scelere, in Martinam Heracleonemq; consurgens, hunc naso, illam lingua mutilatam relegauit.

### CONSTANS AN. XXVII.

A Senatu Constantinopolitano sine militibus Princeps est electus, homo fuit auarissimus, omnia fere ornamenta urbi & Ecclesijs Romanis detraxit. Syracusis in balneo à suis occisus est.

### CONSTANTINVS ANNOS XVII.

Paternæ cædis autorem Mezentium, a militibus Imperatorem factum, oppressit, legem tulit, ut quem iam inde Clerus populusq; Romanus cum exercitu Pontificem creassent, is uere uicem Christi in terris gereret, mortuus est in pace.

### IUSTINIANVS ANNOS XVI.

Filius Constantini, à successore imperio deiectus, ac truncis naribus exulatum in Pontum missus, de hinc uel armis à Bulgarorum Rege in imperium

peritum restitutus, à Philippico tandem prelio uictus est & interfectus.

### LEO AN. III.

Iustiniano imperio à se exuto, successit. A Tyberio captus & naso mutilatus in carcerem conicitur, post Iustiniani reditum, populo spectante est obtruncatus.

### TIBERIVS AN. VII.

Constantinopolitanus fuit ciuis, ab exercitu, Leone capto, Imperator creatus. Iustiniani, in imperium restituti, iussu interemptus.

### PHILIPPICVS AN. II.

Militibus & classe, à Iustiniano, contra se missa, usus, cum Iustiniano dimicans, cum interfecit, imperioq; statim omnium consensu potitur, à successore captus, oculis priuatur, & imperio.

### ANASTASIVS AN. III.

Assumpto imperio, literas ad Romanum Pontificem mittit, quibus se Catholicæ fidei defensoris

forem futuram se pollicetur, à militibus imperio deiectus, à successore sacros ordines recipere cogitur.

### THEODOXIVS AN. I.

Anastasio imperio deicto successus, Catholicus imperator statim imagines sanctorum à Philippico demolitas, restitui pristino in loco mandavit, à successore imperio deiectus, priuata quiete decessit.

### LEO ANNOS XXIII.

Imperio suscepto, imagines & statuas sanctorum è templis abradi, auferri & incendi mandavit, à Gregorio tertio cleri Romani consensu, imperio & fidelium communionem priuatus.

### CONSTANTINVS AN. NOS. XXXV.

Leonis filius, omni scelere imbutus, magus & sacrilegus, Christianos insequitur. sanctorum lipana effossa, in mare abijci mandavit, Elephantie morbo correptus perijt.

### LEO ANNOS V.

A parte

A patre Constantino Imperator relictus, gemmis est adeo delectatus, ut magni ponderis & precij coronam è templo S. Sophia subtraxerit, qua cum frequentius uteretur, subito morbo correptus interijt.

### CONSTANTINVS ANNOS XIX.

Patris Leonis secutus flagitia matrem Irene regno deiecit, mater uero filij flagitia nequaquam ferens, eum captum oculis, in carcerem coniecit ubi & uitam finiuit, post quem Irene sola, imperauit annis. 4. tandem dolo capta, in exilium mittitur.

### ROMANVM IMPERIVM à Græcis in Germanos transfertur.

### CAROLVS MAGNVS ANNOS XIII.

Cum uideret Romanus Pontifex Leo tertius, imperatores Constantinopolitanos ægre id nomen tueri, ac ob eam rem urbem & Italiam ipsam magnas calamitates passam, Carolum (quem non Gallum, sed Germanum fuisse constat) optime de  
B 5 Ecclesia

Ecclesia Dei meritum, populi Romani scito ac precibus, in Basilica sancti Petri Imperatorem decernit, diademate donat atq; inungit, qui cum esset toto iam mundo clarus, Aquisgrani moritur, in templo beate uirginis, quod ipse magnis sumptibus extruxerat, sepultus.

**LVDOVICVS PIVS**  
ANNOS XXV.

A patre Carolo successor destinatus, per Stephanum quartum Romanum Pontificem corona & imperialibus titulis insignitus, Ecclesie iura & dignitatem semper tutatus est, mortuus in beati Arnolphi Basilica, Metis sepelitur.

**LOTARIVS AN. XV.**

In conuentu apud Aquisgranum habito, a patre Ludouico. Imperij socius delectus, a Pascale Romano Pontifice inunctus, Augustus appellatur. Ferunt hunc iam grandem natu, Monachorum sumpsisse habitum.

**LVDOVICVS SECVNDVS**  
ANNOS XXI.

A patre Lothario in socium regni ascitus:  
Italiam

Italiam ingressus, cum urbi appropinquasset ei obuiam Romani prodierunt. Sergius secundus Pontifex oleo sancto eum inunxit, corona donauit, In Italia mortuus, Mediolani sepelitur.

**CAROLVS CALVVS**  
ANNOS VI.

Ludouico patre mortuo imperium obtinuit, & Iohanne octauo Pontifice Maximo Imperator dictus, dum nepotibus suis, qui cum imperio & uita priuaturi in Italiam properabant, obuiam iret, Mantuae ueneno hausto, expirauit.

**CAROLVS TERTIVS**  
ANNOS XII.

Lodouici Germanie Regis filius, Romanis proceribus adiuuantibus, Imperio potitur. Quem Iohannes octauus imperiali corona donauit, ab imperio ob segnitiam corporis & in genij tarditatem deiectus paulo post moritur.

**ARNOLPHVS**  
ANNOS II.

Caroli tertij nepos, eidem in imperio suffectus, a Formoso coronatur, primo strenuus, de hinc nimio

nimio successu elatus, in Ecclesiasticos seuiens, Dei  
nutu, pediculari morbo est absumptus.

**LVDOVICVS TERTIVS**  
ANNOS VI.

Patri successus, nusquam legitur accepisse co-  
ronam, à Berengario qui tum Italiae regnum occu-  
pauit, apud ueronam, dum parentum regnum uter-  
que repeteret, bello uictus, oculis ac genitalibus  
priuatur.

**CONRADVS AN. VII.**

Ludouico successit, sed nec ipse à Romano  
Pontifice est coronatus, erat enim tum magna in-  
ter Italos, Germanos, & Francos de possessione  
imperij concertatio, moriens Henricum imperato-  
rem dixit.

**HENRICVS AN. XVIII.**

Saxoniae dux, uir in rebus bellicis strenuus  
& fortis. Hungaros qui tum Alemaniam popu-  
labantur, ingenti clade superauit, tandem magno  
subditorum omnium luctu mortuus.

**OTTO PRIMVS**  
ANNOS XXX.

EX

Ex nobilissima Saxonum domo Germaniae  
Rex, in Italiam euocatus ut Clerum Pontificemq;  
Roma. è manibus Berengarij, qui tum in Italia im-  
peratoris sibi nomen usurpauerat, uendicaret,  
quod & strenue perfecit. Urbem ingrediens ho-  
norificentissime susceptus coronatur à Iohanne  
duodecimo, alij uero habent à Leone octauo id sa-  
ctum, tandem senio grauatus, moritur optimus  
Princeps, in oppido Saxoniae Quedelburg.

**OTTO SECVNDVS**  
ANNOS. XVII.

Primi Ottonis filius, à patre imperij consors  
creatus, à Iohanne decimo tertio cum uxore, apud  
Lateranensem Basilicam corona imperij exorna-  
tur, Romae Mortuus, in uestibulo Sancti Petri ho-  
norificentissime sepelitur.

**OTTO TERTIVS**  
ANNOS. XIX.

Patre Romae mortuo à Germanis qui tum  
Romae frequentes erant, Imperator delectus quo-  
rum sententiam Benedictus septimus approbat, à  
Gregorio quinto, qui et ipse Germanus erat, co-  
ronatus, in Italia moritur.

Lata

Lata est sanctio de imperatore deligendo per Gregorium quintum, non abnuente Ottone. Anno Christi M. ac secundo. Data etiam tum est autoritas deligendi Romanum Caesarem, septem Germania Principibus, Maguntino, Agripinensi & Treuirensi, Archiepiscopis. Comiti Palatino Rhemi, Duci Saxoniae Marchioni Brandenburgensi, quibus & Boemiae Rex adiectus est.

## HENRICVS SECVNDVS

ANNOS XIX.

Bauariae dux, Ottonis magni nepos, primus ex institutione Gregorij, imperator electus, a Benedicto octavo imperiali corona donatur, post mortem uir optimus ac sanctissimus in sanctorum numerum relatus est.

## CONRADVS AN

NOS XV.

Cum post mortem Henrici, triennale fuisset interregnum, tandem legitimis suffragijs, Conradus, cum esset Frantiae orientalis & Sueviae dux, electus, a Iohanne uigesimo coronatur, mortuus in templo Spirensi, sepelitur.

Henricus

## HENRICVS TERTIVS

ANNOS XVIII.

Conradi gener, habita synodo, Benedictum, Siluestrum, Gregorium, tanquam tria teterrima monstra abdicare se magistratu coegit, Syndegorum Bambergensem Episcopum Romanum Pontificem creat, Clementem secundum appellatum, a quo & imperij coronam accepit, Decessit florente imperio.

## HENRICVS QVARTVS

ANNOS L.

Puer adhuc, sub matris tutela aliquandiu regnauit, a Nicolao secundo coronam accepit, quem Gregorius septimus demeritis suis id exigentibus, imperiali priuauit diademate. Postremum a filio Henrico, successore iam delecto, captus, pedore & situ carceris defunctus est, in Spirensi templo, dum quinquennio inhumatus iacuisset, sepultus.

## HENRICVS QVINTVS

ANNOS XX.

Patre mortuo Italiam ingressus agre a Paschale secundo coronam extorsit, post cuius discessum

discessum Pontifex omnia reuocauit. Imperator in urbem rediens, Pontifice absente, à Barcharenfi Archiepiscopo, iterum est coronatus, morbo decessit, Spiræ sepultus.

## LOTHARIVS

ANNOS. XI.

Saxoniæ dux, ab Electoribus Cæsar creatus Innocentium secundum per Anacletum Antipapam à sede deturbatum, restituit, à quo coram imperiali exornatur. Diuitijs & uictorijs magnus decessit Veronæ.

## CONRADVS TERTIVS

ANNOS XIII.

Sueuiæ dux, Lothario in regnum successit, maximum exercitum in Sarracenos Christi hostes ducens, Emanuclis Græci imperatoris fraude & perfidia impeditus, re infecta, abire coactus est.

## FRIDERICVS PRIMVS

ANNOS XXXVII.

Ex inclita Sueuorum domo progenitus, cognomento Barbarossa, Romæ in Basilica Sancti Petri

Petri, ab Adriano quarto imperij corona donatus, Italiam multis magnisq; affecit cladibus, magno cruce signatorum exercitu in Turcas Christi hostes profectus, dum lauandi corporis gratia rapidum anhem ingreditur cum magna Christiane rei iactura, in undis perijt, strenuissimus & uictoriosissimus imperator.

## HENRICVS SEXTVS

ANNOS X.

Patri successit, à Celestino eius nominis tertio Romano Pontifice coronam ac cepit. Constantiam Rogerij Sicilia Regis filiam uxorem duxit. Panormi mortuus, in spirenfi templo sepelitur.

## PHILIPPVS. AN. IX.

Sueuiæ & Hetruriæ Dux, per seditionem ab una Electorum parte, Imperator electus, multos Germaniæ principes bello à se deuictos, iurare in sua uerba coegit, insidijs Comitum Palatini petitus, necatus.

## OTTO QVARTVS

ANNOS III.

Saxoniæ dux, ab altera Electorum parte Cæsar

far creatus, ab Innocentio tertio confirmatur, & coronatur, à quo postea anathemate notatus, imperij titulis priuatur.

## FRIDERCVS SECVNDVS

ANNOS. XXXII.

Vigefimum etatis annum agens cum iam antea esset Sicilia, Sardinia, Hierosolyma & Sueuia Rex, Ottone deiecto imperator eligitur, quo nullus potentior à Carolo magno, Romæ. tenuit Imperium, à Maguntino Archiepiscopo diadema accepit, ab Honorio tertio qui illum antea Imperatorem inuixerat, & Innocentio quarto Romanis Pontificibus, pessimo Christianorum fato, Anathemate notatus, Imperio & regnis priuatur, Panormi mortuum esse aiunt.

## INTERREGNUM FRIDE

rico deposito cepit, & annis tribus & uiginti sub incertis Imperatoribus, usq; ad Rudolphum continuatum est.

## RVDOLPHVS AN

NOS XVIII.

Comes

Comes Habisburgius & Alsatia Comes provincialis, post longam Imperij uocationem, ab Electoribus Rex Romanorum creatus fuit, pietate, religione, humilitate insignis. In Spirensi templo sepultus.

## ADOLPHVS AN. VI.

Comes de Anaxone, uulgo Nassau, ob auariciam & Tyrannidem omnibus exosus, ab Imperio iustis suffragijs deponitur, à Successore bello uictus, occubuit, Spira sepultus.

## ALBERTVS AN. X.

Austria dux, Adolpho abrogato Rex electus, dum electionem de se factam minus legitimam estimaret, iuri suo renunciauit, tum communibus suffragijs est electus, à Iohanne fratris filio, necatus, Spira sepelitur.

## HENRICVS SEPTIMVS

ANNOS V.

Lucelburgensis Comes, Imperator electus, Aquisgrani corona Regia ornatus, Roma sub Clementis

Clementis quinti Pontificatu, à tribus Cardinalibus Imperator inunctus, apud Bonconuentum ueneno moritur, Florentini enim Monachum ( ut aiunt ) præmijs subornauerunt, qui Henrico Eucharistiam ueneno illitam, pro scelus, dedit.

**LVDOVICVS QVARTVS**  
ANNOS XXXIII.

Bauaria dux, per controuersiam ab Electoribus, cum Friderico Austriae duce, electus, quo tandem capto, Imperio solus potitur. Romæ à Stephano Columna Cardinali coronatus, in quem Iohannes uigesimus secundus censuris animaduertit, quas & Benedictus duodecimus confirmauit.

**CAROLVS QVARTVS**  
ANNOS XXXII.

Boemiae Rex, ob multarum linguarum literarumq; peritiam, in Bauari etiam contumeliam, ab Electoribus Caesar designatus, Romæ à duobus Cardinalibus sub Innocentio sexto, coronatur.

**VVENCESLAVS**  
ANNOS XXII.

Caroli

Caroli filius ignauissimus, à patre obligatis Imperij publicis uectigalibus, decimum quintum agens annum Caesar factus, ob ignauiam ab imperio deiecitur, Suffragijs omnium.

**ROBERTVS AN. X.**

Bauaria dux Comesq; Rheni Palatinus, Vuenceslao deposito, successus, Vir iusticie glorie clarissimus, mortuus in choro Sancti Spiritus Heidelbergensi, sepelitur.

**SIGISMVNDVS**  
ANNOS XXVII.

Hungariae & Boemiae Rex, doctrina, humanitate, multarumq; linguarum noticia princeps fuit clarissimus, sæpius contra Turcas terrasq; pugnavit, habuit semper in honore literas literatosq; uiros, eius ductu Constantiense Concilium est celebratum, Romæ in Basilica Sancti Petri, ab Eugenio coronatus Imperator Augustus salutatur, etate morboq; confectus moritur.

**ALBERTVS AN. II.**

Austriae dux, Hungariae & Boemiae Rex, Gener Sigismundi, clementia, liberalitate ac fortitudine.

tudine clarissimus, qui cum secundo imperij sui anno (non sine ueneni suspicione) uitam finiisset, quam de se praeuit expectationem, adimplere non potuit.

## FRIDERICVS TERTIVS

ANNOS LIIII.

Austria dux, communi Electorum uoto Francofordiae Caesar designatus, Romam cum sponsa sua Leonora Lusitaniae Regis filia, ueniens à Nicolao quinto, Summo Pontifice in Vaticano coronatur inungiturq; inde mox Neapolim ad celebrandas nuptias profectus, quae excellenti Alphonsi regis munificentia perficiuntur, filio Maximiliano Rege declarato, bellisq; multis felicitex confectis è uiuis sublatus est optimus Imperator.

## MAXIMILIANVS

ANNOS LIIII.

Archidux Austriae, legitimis Principum Electorum suffragijs, patre Friderico uiuente, Romanorum Rex creatus, cui etiam mortuo in imperio successit. Illius uirtute et res bello paceq; gestae, tot et tanta sunt, ut à nemine pro sua maiestate

iestate, non dico decantari, sed ne dinumerari quidem possint. Quem enim dabis qui felicissimos triumphos faustissimaq; trophaea, quae cum summo honore de Gallis, Eburonibus, Sycambribus, Batauis, Morinis, Hungaris, Boemis et Venetis reportauit, enarrare queat? Hic uere tandem senectute confectus in Austria diem suum obiit. Estq; ibi in monumentis maiorum suorum sepultus.

## CAROLVS QVINTVS.

Defuncto Maximiliano Imperatore, delatus est imperij Romani titulus omnium Electorum Principum consensu, tacitisq; omnium Germaniae populorum uotis atq; suffragijs, Friderico Saxoniae duci, qui et aetate reliquis Germaniae Principibus praestabat, et sapientiae ac bonitatis tantam, quantam uix inquam quisquam, laudem habebat. Verum ille cum per totam uitam ab ambitione alienissimus, semperq; quietis ac pacis amantissimus fuerit, delatum honorem constantissime recusauit. Idq; Princeps sapientissimus perpendit, se iam eam aetatem agere, de qua non magna spes diuturnae uitae esse posset, et dandam potius operam, ut

C 4 in lora

in longitudinem consuleretur Reipublica, maxi-  
mis presertim motibus imminentibus, quos ille  
omnes longe ante praedixerat. Qua de causa re-  
motis a se rerum gubernaculis suavit eligendum esse  
summa spei Principem Carolum nepotem diui  
Maximiliani ex filio Philippo, Archiducem Au-  
striae, Burgundiae Principem, & Hispaniarum re-  
gem. Quod quidem consilium, cum ipse in propo-  
sito perduraret, a Senatu imperij est adprobatum.  
Carolusq; quod faustum foelixq; sit Reipublica,  
Imperator designatus atq; renunciatus est. Hic  
uero tantam de se haecenus toti orbi terrarum  
spem ostendit, ut nemo unquam Imperatorum  
extitisse uideatur, quem non ille uirtute, poten-  
cia, fortuna, magnitudine & gloria rerum gesta-  
rum aequare aut etiam superare possit. Itaq; &  
hunc quoq; optimo iure, si superi, quemadmodum  
haecenus uidimus, eius conatibus aspirauerint,  
Carolus Magnum adpellenus. Sed cum hic Ca-  
talogus tantum Caesarum sit institutus, & quotidie  
noster ille Imperator gloriam rerum maximarum  
augeat, nihil addendum putamus, tantum preca-  
bimur ut tum Imperatorijs illis uirtutibus atq; ani-  
mi dotibus quibus est praeditus maximis, tum for-  
tuna inuicta, quae haecenus cum est comitata,  
ad Reipub: totiusq; orbis terrarum sa-  
lutem, sicut coepit, utatur.

De Caes

# DE CAESA- RIBVS GERMANI- CIS LIBER I.

CAROLVS MAGNVS.

**C**arolus antiquis Francorum Regibus ortus,  
Imperij meruit uindice sceptrum manu.  
Cum Desiderij fera contudit arma Tyranni,  
Finibus Ausonijs qui metuendus erat.  
Cumq; rebellantes per multos Saxonas annos,  
Traiecto domuit flumine Moene tuo.  
Excisis Auarum compefcuit urbibus Hunnos,  
Gens quibus asperior cognita nulla fuit.  
Condidit & septem deductis castra colonis,  
Paeoniae celsis aspicienda iugis.  
Atq; Saracenos ab Iberi depulit undis,  
Irrigat Hesperios huc ubi Batia agros.  
Astrorum cursus, & fata regentia mundum,  
Scrutari solitus tempore pacis erat,  
Addictusq; fuit concessa per ocia Musis,  
Doctus in alternos cogere uerba pedes.  
Carmina morte quibus Rolandum fleuit ademptu,  
Quatuor haec eius nomine uulgus habet,  
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,  
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.

C 5

Sed

Sed qui lustra geris, binos octo super annos,  
Ereptus terris, iustus ad astra redis.  
Teutones arctois etiam quibus utimur oris,  
Nomina bisseis mensibus ipse dedit.  
Cum quater à decimo, tria lustra peregerat, anno,  
Ultima longævum fata tulere senem.

### LVDOVICVS PIVS.

**F**ilius Imperij coepit Ludouicus habenas,  
Nomen ab insigni qui pietate tulit.  
Hic studium pacis cum bella perosus amaret,  
Marte tamen clarus militiaq; fuit.  
Cimbrica sedato pacant, regna tumultu,  
Exitium fratri fratre mouente suo.  
Compulit et sumptis absistere Britonas armis,  
Stricta iubens seua ponere tela manu.  
Expulit Ausonios et Tybridis urbe Quirites,  
Qui caput exortæ seditionis erant.  
Fœlix si sterili sobolem natura negasset,  
Nullus et uxoris cognitus esset amor.  
Quos genuit natos, crudeles reperit hostes,  
A quibus heu captus uincula seua tulit.  
Mox tamen ereptus fatali carceris antro.  
Coepit honorata reddita scepra manu,  
Eseritam clausit supremo sine senectam,  
Mogus ubi Rhœni cornus miscet aquis.

Lothar

### LOTARIVS I.

**L**Aude nihil dignum fama; Lotharius egit,  
Intulit iniustus fratribus arma suis.  
A quibus aduerso belli certamine uictus,  
Tristia cum turpi damna pudore tulit.  
Dignus hic iniustis solet exitus esse Tyrannis,  
Impius in tantum quos scelus error agit.  
Nominis ut fama, regniq; cupidine ducti,  
Horrida cum proprio sanguine bella gerant.

### LVDOVICVS II.

**R**egia defuncti Ludouicus scepra parentis  
Imperij summo dignus honore tulit.  
Vandalica fregit superato principe gentis  
Instabiles animos, instabilemq; fidem.  
Huius ut in duro uirtus est cognita bello,  
Sic etiam miti cognita pace fuit.  
Ingenuas coluit studijs ac sumptibus artes,  
Quæ multis odio Regibus esse solent.  
Tempore Caesaris à quo suscepit habenas,  
Bis geminis lustris additus annus erat.  
Ausonijs placida cum morte quieuit in oris,  
Insubrum celebri conditus urbe iacet.

### CAROLVS CALVVS.

**C**arolus imperij fraudauit honore nepotes,  
Qui licet iniustus, uir tamen acer erat.  
Deuicis

Denicit Ligurum populantes equora Mauros,  
In celere[m] uertens barbara terga fugam.  
Et procul occiduo submotos orbe Britannos,  
Compulit optatæ pacis amore frui.  
Albuit Andinos ubi flumine Mincius agros,  
Mixta bibit medici fraude uenena sui.

### CAROLVS CRASSVS.

**C**Rassus ab infesto submouit Pannonas Istro,  
Cimbrica uictrici fudit & arma manu.  
Sed quam fortis erat primis & strenuus annis,  
Tam senio factus mollis inersq; fuit.  
Regis ob ignauam priuatus nomine uitam,  
Turpiter imperio decidit ipse suo.

### ARNOLPHVS.

**A**Spera cū Cimbris Arnolphus prelia fecit,  
Quos patria domitos uictor abegit humo.  
Gallica qui longo uastantes oppida bello,  
Non leuis imperio causa timoris erant.  
Cepit & Ausoniam depulsis ciuibus urbem,  
Templaq; militibus diripienda dedit.  
Quas meruit iustas soluit pro crimine poenas,  
Sillanis moriens uermibus esca fuit.

Ludouicus

### LVDOVICVS III.

**T**ertius indomitis Ludoui: uictus ab Hunnis,  
Multa tulit forti non patienda uiro.  
Perdere uindictibus quos ultor debuit armis,  
Turpiter his empta pace tributa dedit.  
Ingressus modico Veronæ milite portas,  
Venit in hostiles, captus ab urbe, manu.  
Supplicioq; graui membris genitalibus orbis,  
Est datus, in subrum rege iubente, neci.

### CONRADVS I.

**M**arte ferox Scycticis Conrad: restitit Hunis,  
Atq; neci uictor millia multa dedit. (nis,  
Aenus ab Alpina præceps ubi rupe uolutus,  
Humectat gelidis Norica rura uadis.  
Francorum ueteri postremus origine Cesar,  
Stirpe fuit gentis deficiente sue.

### HENRICVS AVCEPS.

**C**um sine legitimis defuncto Cesare natis,  
Regia progenies nulla superstes erat.  
Albis ad arctos Henricus transtulit unda,  
Sceptra Leotolpho Saxone natus auo.  
Fallere quod uolucres laqueis siccoque solebat  
Aucupis aucupij nomen ab arte tulit.

Hic

Hic domitis cogens mitescere cornibus Istrum,  
Norica uastatis oppida cepit agris.  
Misuiacis celebri fama notissima terris,  
Vrbs uetus à Martis nomine dicta iacet.  
Ad quam Pannonici contundens agmina regis,  
Barbare te patria depulit Humne sua.  
Effera quid posset uirtute Bohemia sensit,  
Inq; fugam celeri Dalmata uersus equo.  
Marchiacæ pariter sensit ferus incola terra,  
Structa super ripas urbs & Hauelc tuas.  
A duce quam Brenno fundatam Teutones olim,  
Vandalici sed tunc incoluere duces.  
Vt foret insignis uictoria nata triumpho,  
Laudibus hic statuit digna trophæa suis.  
Conditor erexit celsi fastigia templi,  
Quod de Christipara uirgine nomen habet.  
Mortuus est senos ubi quinq; bis egerat annos,  
Non habuit longo tempore Roma parem.

### OTTO MAGNVS.

Saxonicis domitos Oto finib: expulit Humnos,  
Quos pater augusta uicerat ante manu.  
Hosq; reuertentes ingenti clade peremit,  
Hic ubi Sueuorum perfluit arua Lycus.  
Centum uulneribus ceciderunt millia septem,  
Vix sibi difficili consulere fuga.

Bella

Bella laceßus cum fratre domestica gessit,  
Ad Rheni uictor quem superauit aquas.  
Hostiliq; truces inuadens Marte Bohemos,  
Subdidit imperio regia sceptræ suo.  
Ausus & inuito Roman censere senatu,  
Priscæ dedit populo iura Quirinc tuo.  
Pastoremq; Dei lacero præfecit ouili,  
Qui pius ac tanto munere dignus erat.  
Cepit & Insubrum deuictæ moenia rege,  
Ticini ferro depopulatus agros.  
Argiuos Calabris eiecit montibus hostes,  
Et Beneuentanum depulit urbe ducem.  
Marte rebellantes Heduos, Gallosq; subegit,  
Ingressus fines Sequana terra tuos.  
Vicit & Hectorea natos ab origine Francos,  
Imperij nobis qui peperere decus.  
Mogus ubi inuictæ miscet sua flumina Rheno,  
Et generi & nati contudit arma sui.  
Inuida quæ longo tellus absconderat æuo,  
Eruiit Hercinijs prima metalla iugis,  
Albiacis urbem uicinam contudit undis,  
Quæ de uirginibus nomen adepta tenet.  
Clara sub hoc meruit Germania principe, laudis,  
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

### OTTO SECVNDVS.

Neg

**N**ec fuit inferior primo uirtute secundus,  
Multa domi gessit praelia, multa foris.  
Danubius rapidis ubi Norica persluit undis,  
Iugera, conseruit cum patruale manus.  
Ipsius ambibat qui seditiosus honores,  
Factus & iniusto Marte rebellis erat.  
Sole coloratos Mauros, Numidasq; feroces.  
Finibus ciecit Daunia terra tuis.  
Victa triumphalem dedit illi Græcia palmam,  
Infectasq; sua Gallia cede manus.  
At nauale gerens externò milite bellam,  
Incidit in Siculas proditiōne rates.  
Captus ubi docto prædones ore fessellit,  
Quod potuit Graio reddere uerba sono.  
Aequa solo posuit Beneuenti moenia flammis,  
Hac quod ab infida proditus urbe fuit.  
Passa sub hoc longum Germania Casarè frigus,  
Penè fuit sæuo tota perusta gelu.  
Tempore quo calcat maturas uinitor uuas,  
Bruma repentinas sparsit oborta niues.  
Et concreta suum tenuerunt flumina cursum,  
Donec hyems tepido uere soluta fuit.  
Cæruleus leni quam persluit agmine Tybris,  
Mortuus extremum clausit in urbe diem.

### OTTO III.

**V**enit ad imperiū teneris Otto tertius annis  
Imperio nondum cui satis aptus erat. *sed*

Sed matura uirum quo tempore fecerat etas,  
Nec patre, nec forti degenerauit auo.  
Germano Latias ingressus milite terras,  
Romulea cepit moenia facta manu.  
Crescentemq; illic hostilibus obruit armis,  
Casaris Aeneadae quem coluere loco.  
Victor & eripuit belli certamine capto,  
Pontifici, fossis lumen utrumq; genis.  
Nil ueritus summi quod ianitor esset olympi,  
Cælestes posset qui referare fores.  
Ut penes immensi nos tota potentia mundi,  
Semper & imperij gloria summa foret.  
Regia constituit quibus est electio curæ,  
Præcipua septem nobilitate duces.  
Teutonicæq; genus qui non ab origine ducunt,  
Hæredes uetuit nominis esse sui.  
Legibus acceptum Germania debet Otonis,  
Ferre quod imperij laudibus aucta manet.  
Et quod adhuc nostri uiget integra gloria regni,  
Gloria, Francorum quam peperere manus.

### HENRICVS CLAVDVS.

**C**um priuatus adhuc Princeps Henri: agebat,  
A patruale suo uictus Otone fuit.  
Sed postquam summos est Casar adeptus honores,  
Auspicijs gessit prospera bella suis.

D Coniugis

Coniugis edomuit fratrem, semperq; rebellis,  
Ipsius est forti milite capta Metis,  
Cinxit & infestis Gandavi moenia signis,  
Tempore quo subijt Flandria uicta iugum,  
Oenotrijs hostes Argiuos expulit oris,  
Contudit & Phrisios Marte fauente, duces.  
Sarmatica iunctos fudit cum gente Bohemos,  
Omnes Vandalici fregit & hostis opes.  
Rege sub hoc, ueterum cultus exosa decorum,  
Pannonis est Christi terra professa fidem.  
Magnus & insolitis arsit feruoribus astus,  
Ortus ubi uerno tempore Maius erat,  
Sole laborantes usit fitis arida campos,  
Ac perijt culmus languida facta seges.  
Vnde per Europam uictus annona, negauit,  
Pestis & est longam dira sequuta famem.  
Additus Henricus cum celite coniuge diuis,  
Annua promeruit nomine festa suo.

### CONRADVS II.

Signa Pharetratos mouit Conrad: in Hunnos,  
A quibus infesto Marte petitus erat.  
Versaq; pugnaces Heduos dare terga coegit,  
Quos Burgundiones tempore nostra uocant.  
Sarmaticum regem dum sortibus adiuuat armis,  
Qui patrijs exul sedibus actus erat.

sepe

Sepe triumphatos affecit clade Polonos,  
Sepe Bohemorum caede repleuit humum.  
Vda paludosis habitatur terra Sicambris,  
Martia uulgatum Gclaria nomen habet.  
Aeger in hac obiit supremo funere mortem,  
Imperium nato suscipiente suo.  
Rhenus ubi Nemetum ueterem praterfluit urbem  
Conditus in diua uirginis ade iacet.

### HENRICVS NIGER.

Pannonio geminos Henricus ab hoste triumphos  
Contusis retulit uiribus Hunc tuus.  
Non negat argenti Sarius id conterminus Istro,  
Purpureum cuius sanguine flumen erat.  
Compulit & fortes celeri uirtute Bohemos,  
In sua submissas tendere iura manus,  
Hic ubi flauentes exestuat Albis arenas,  
Et celer undoso gurgite Mulda fluit.  
Vicit & extremos Morinos, Belgasq; potentes,  
Dedita tunc studijs gens ea Martis erat.  
Nunc agit imbellem discincta per ocia uitam,  
Mutandisq; suas mercibus auget opes.  
Tres quoq; Pontifices Romana sede potitos,  
Arbiter Ausonia cedere iussit humo.  
Quaeq; graues olim belli motura tumultus,  
Causa fuit, nato perniciofa suo.

D 2

Sedis

Sedis Apostolicae proceres iurare coegit,  
In patriam fecit cum rediturus iter.  
Vt quicumq; sacri munus pastoris obiret,  
Caesaris electus uoce probante foret.  
Qua situs est genitor, requiescit in urbe sepultus,  
Ad liquidas Rheni praetereuntis aquas.

### HENRICVS III.

Gregorium sacrae priuauit honore Cathedrae  
Quod magicae studio deditus artis erat.  
Et contra mandata sui legesq; parentis,  
Pauit, Apostolico munere functus, oues,  
Cumq; rebellarent antistitis arma secuti,  
Qui ripas habitant Saxones Albi tuas.  
Vastatos incendit agros, poenamq; coegit,  
Oppida uindictae capta subire suae.  
Vltus est digna multatum caede Rodolphum,  
Carmine cum tali qui diadema tulit.  
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho,  
Munus enim Falsi praesulis istud erat.  
Hunc, ubi prostratus uiolenta morte iacebat,  
Delicti puduit poenituitq; sui.  
Tam quod ob indignam deserto principe causam,  
Impia Pontificis iussa secutus erat.  
Scilicet aspiciens mutilatam uulnere dextram,  
Talia moerenti pectore uerba dedit,

Ergo

Ergo quod iniustus cum Caesare praelia feci,  
Bellaq; suscepi Marte nephanda meo.  
Iuratamq; fidem manus haec scelerata fessellit,  
Persidiam poena conueniente luo.  
Post ducis interitum supremaq; fata Rodolphi,  
Caesar ubi facta pace quietus erat.  
Imperio nati crudelibus excidit armis,  
Res ea Pontificis fraude peracta fuit.  
Exul apud Belgas lumen uitale reliquit,  
Defuncti Nemetum corpus in urbe iacet.  
Teutones, hoc Solyman uiuente recepimus urbem,  
Caesare, quae longo tempore capta fuit.  
Quam ferus Aegypti regnator ademerat armis,  
Imperio Memphis subdita cuius erat.

### HENRICVS V.

Iusta tulit natus scelerati praemia facti,  
Proq; sua poenas impietate dedit.  
Quem prius adiutum socijs defenderat armis,  
Detestanda gerens cum patre bella suo.  
Terribiles huius diras et fulmina sensit,  
Haec solet Ausonij praesulis esse fides.  
Caesar at equali fraudem mercede rependens,  
Fecit in Italiam caede cruentus iter.  
Omnia concutiens ubi tristibus oppida bellis,  
Hostili Latius igne cremabat agros.

D 3

Martia

Martia que iactat se nomine Roma Quirini,  
Plena cadaueribus, sanguine plena, fuit.  
Descendensq; sui crudelia signa furoris  
In patriam uictor cum referebat humum,  
Vincula Pontificem captiui more gerentem,  
Ante triumphales ire coegit equos.  
Quatuor hoc uno signantur marmora uersu,  
Quo situs in Nemetum conditur urbe loco.  
Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet istic,  
Marmora uisuris inspicienda patent.  
Surgit ubi diuæ templum uenerabile matris,  
Que sacra uirgineo pondera uentre tulit.

### LOTHARIUS SAXO.

Saxo rebellantes uirtute Lotharius urbes,  
Compulit imperij fœdus inire sui.  
Hostilem domuit Capuam, domuitq; Cremonam,  
Multaq; diuersis oppida capta locis.  
Abdus que gelidis, que perfluit Ausidus undis,  
Ac taurina gerens cornua fronte Padus.  
Noricus ultori Pegnesidos accola ripe,  
Obsessa domitam tradidit urbe manum.  
Captaq; de Nemetum uictorem plebe triumphos,  
Spira coronatis ducere uidit equis.  
Formidanda sui spernentem fulmina martis,  
Te quoq; Cesareo subdidit Vlma iugo.

Nec

Nec minus urbanas ad pacis idoneus artes,  
Fortia quam belli promptus ad arma fuit.  
Resituit ueterum neglecta uolumina legum,  
Inq; scholis inisit publica iura legi.  
Que prius obscura sub nocte sepulta iacebant,  
Plenaq; squalebant puluere, plena situ.  
Ipse suo dictam de nomine condidit arcem,  
Mortuus in patria qua requiescit humo.

### CONRADVS SVEVVS:

Magnanimos Contra: agēs in prelia Sueuos  
Ad Solymas longum per mare fecit iter.  
Aduentusq; sui formidine terruit hostem,  
Victor Idumæam qui populatus erat.  
Vindice quem dextra Iordanis ab amne fugauit,  
Humectat Pharios hic ubi Nilus agros.  
Ac celebri partum ducturus laude triumphum,  
Cum reduci patriam classe petebat humum.  
Nomen ubi ponto Nephelcias induit Helle,  
Vastus & Euxinas Bosphorus arctat aquas.  
Perdidit inuictas amisso milite uires,  
Hospitalis indigna proditione sui.  
Ergo nec immeritas expendit Thracia pœnas,  
Nunc ab in humanis capta Borysthenidis.  
Sustinet imperium Getici crudele tyranni,  
Quod fuit in iustos fraude maligna duces.

D 4 Fri

FRIDERICVS BAR.  
baroffa.

**I**nclita Germana Fridericus gloria gentis,  
Ingenio duri martis amante fuit.  
Sedibus ac regno Guelfhos eiecit auito,  
Pingue Cheruscorum qui tenuere solum.  
Saxonici pulsus quibus Electoris honores,  
Abstulit, Ascania principibusq; dedit.  
Quos tribus Augustis natos ab Otonibus aiunt,  
Nobile Casarei sanguinis esse genus.  
Erui Insubrium disiectam funditus urbem,  
Tempore quo summi præsulis hostis erat.  
Remq; breui gestam signari carmine iussit,  
Hic stetit Insubrium nobile gentis opus.  
Mos antiquus erat, qui publica commoda pacis,  
Casare turbasset bella gerente foris.  
Totius imperij reus inspectante senatu,  
Ut canis impositum, corpore ferret, onus.  
Ergo quod Italicis dum concita gessit in oris,  
Bella, Palatinus mouerat arma domi.  
Hunc licet inuitum detrectantemq; coegit,  
Inclita per Nemetum moenia ferre canem.  
Imposuitq; duci nomen regale Bohemo,  
Qui sua militia signa secutus erat.  
Cuius in ambiguo seui discrimine Martis,  
Sæpe fuit uirtus, sæpe probata fides.

Cura

Cum Veneto gessit quo tempore bella senatus,  
Procubuit summi præsulis ante pedes.  
Supplice delicti ueniam, quibus ore precatus,  
Oscula cum turpi fixa rubore dedit.  
Terrarum dominum nec inani ludere fastu,  
Pontificem puduit Roma superba tuum.  
Armenia uitam submersus in amne reliquit,  
Fortia cum seuis intulit arma Getis.  
At nisi crudeli præuentus morte fuisset,  
Imperij fines ultima Bactra forent.  
Hostis & Europæ qui nunc affectat habenas,  
Vix Asia minima parte teneret humum.  
Hoc stetit, hoc cecidit respublica Casare Christi,  
Quæ sine nunc ullo uindice lapsa iacet.

HENRICVS VI.

**T**ristia submersi natus post fata parentis,  
Regia concordæ sceptrâ fauore tulit.  
Obsidione premens Vbiorum moenia cinxit,  
Vltus & est capta Præsulis urbe fidem.  
Qui Burgundiacæ confusus robore gentis,  
Imperij lapsas despiciebat opes.  
Edomuit uictor Calabras & Iapygis oras,  
Pulsaq; Sicania Trinacra regna mari.  
Sunt ubi Cyclopum fumantibus antra caninis,  
Vrget & Enceladi molibus Actna caput.

D 5

Cuius

Cuius anhelanti prorumpunt ore fauilla,  
Brachia cum saeuo fulmine tacta mouet.  
Funeris ante diem nato commisit habenas,  
Imperium certo ne sine rege foret.

### PHILIPPVS.

**C**Aesarea pepulit de sede Philippus Otonem,  
Proq; suo regni frena nepote tulit.  
Donec is utilibus crescens adolesceret annis,  
Qui patris electus tempore Caesar erat.  
At Romana pium damnauit curia regem,  
Curia, qua nunquam regibus aqua fuit.  
Caesaream stygijs animam deuouit & undis,  
Praesul enim pulsi fautor Otonis erat.  
Motus ob id saeuos tulit arma Philippus in hostes,  
Consilio quorum res ea gesta fuit.  
Diripuit captas Vbiorum praesulis urbes,  
Qui totius erat fons & origo mali.  
Tyrigetasq; acres domuit, quos nostra Doringos,  
Barbara corrupto nomine lingua uocat.  
Post uarios belli casus, actosq; labores,  
Cum secura trahens ocia, solus agit.  
Aciubet incidi turgentem sanguine uenam,  
Traditus occubuit militis ense neci.

### OTTO III.

**S**uauis ad imperiū praesul reuocauit Otonem,  
Mox ubi sublatas cede Philippus erat.

At

At Deus exegit poenam iustissimus ultor,  
Caesareas paruo tempore rexit opes.  
Excidit imperio Romani fulminis ictu,  
Laesus ubi spreto numine praesul erat.  
Hic, quibus incessit dominandi praua Cupida,  
Exitus iniustis regibus esse solet.

## DE CAESARIBVS GERMANICIS LIBER II. FRIDERICVS II.

**I**mperium pulso Fridericus Otone secundus,  
Coepit, ubi natus bis duo lustra fuit.  
Quem prius exosum Romanus praesul habebat,  
Cum regale puer nomen adeptus erat.  
Legitimusq; patri succedere debuit haeres,  
Praeripiente sero munus Otone suum.  
Sucus hic Argolicis potuit depromere uerbis,  
Omnia, qua uoluit scribere siue loqui.  
Eq; Saraceno uersos sermone libellos,  
Transtulit in linguam Roma diserta tuam.  
Marte Brabantiacas urbes populosq; rebelles,  
Atq; Lotharingos contudit acre genus.  
Adductoq; procul ferientes Pannonas arcu,  
Quos sanus & gelidis asperat Ister aquis.

Ad tuam

At dum uindictibus repetitas asserit armis,  
Quis sacer imperij præsul habebat opes,  
Iunitor intumuit cœlestis Honorius aulæ,  
Formidata mouens numinis arma sui,  
Offensi metuens Fridericus Præsulis iram  
Possset ab hostili tutus ut esse dolo.  
Imperij natum consortem in sede locauit,  
Falsa sed heu quantum pectora fraudis habent?  
Natus ad infestum desciiuit perfidus hostem,  
Quo patris adiutor tempore factus erat.  
Captus ob id facinus, uinclisq; coercitus arctis,  
Supplicio pœnas conueniente dedit.  
Expulerat Solimum Nili serus accola regem,  
Cæsaris implorans ille petebat opem.  
Cæsar Idumæas cum classe profectus ad urbes,  
Auxilium regi Marte fauente tulit.  
Sed procul externis dum belligeratur in oris,  
Ausoniam præsul fraude subegit humum.  
Atq; per insidias, ab Hetruscis capta, recepit,  
Oppida, Cæsareæ quæ ditionis erant.  
Idcirco Solyma Fridericus ab urbe retractus,  
Mouit in infidum præsulis arma caput.  
Effera tunc Italas turbauit factio gentes,  
Factio perpetui noxia causa mali.  
Partibus augusti fautor Gibelinus adhaesit,  
Pontificiq; tulit transfuga Guelphus opem.

ipse

ipse suis præsul sed cum diffideret armis,  
Auxilio tutus possset ut esse Dei.  
Regis in exitium templis decreta fuerunt,  
Mille sacerdotum murmura, mille preces.  
At Deus iniustus obstruxit uocibus aures,  
Irrita præcipites uerba tulere noti.  
Qui pugnacis erat sera præsulis arma secuti,  
Cæsarea uicti succubere manu?  
Euganei Phrygia Veneti de stirpe creati,  
A quibus Adriacum nunc mare nomen habet.  
Interea Solymis hostis Mahometicus arces  
Occupat, hæc illa commoda lite tulit.  
Ergo quod a Scythico Iudæa subacta Tyranno,  
Oppida sinceram destituere fidem.  
Quod prophanatus locus est, ubi rector olympi,  
Sanguine deleuit crimina nostra suo.  
Hoc Romana tuæ debetur curia fraudi,  
Præsulis hæc bellum culpa gerentis erat,  
Qui nisi uictoris remotus cepta fuisset,  
Acta sub imperium Cassia regna forent.  
Impia sensisset Sueuorum Turcia uires,  
Ac dominus Nili Rhene futurus eras.  
Pulsus ab infestis sed cum Ptolemaide Turcis,  
Teutonicæ miles nobilitatis erat.  
Aduersus Scythiæ populos Asiæq; relictus,  
Cæsare qui Solymis digrediente fuit.

vici

Vicit adorantes Idola uetusta Borusses,  
Aequor ubi canis succina gignit aquis.  
Ipse sed ethereas qua morte reliquerit auras,  
Non perhibet certam cognita fama fidem.  
Si quid habent priscis annalibus edita ueri  
Creditor extremam non obiisse diem.  
Arx uctus est, primus fundasse Lotharius illam,  
Fertur ab autoris nomine nomen habet,  
Istic rumor ait somno dormire solutum,  
Ante nec effecto corpore posse mori.  
Quam Geticus Solyma pellatur ab urbe tyrannus,  
Caesaremq; ferat Turcia capta iugum.  
Huius enim uiua sub regis imagine spectrum,  
Conspicitur tepido membra fouere toro,  
Frigida cum medio uoluuntur sydera lapsu,  
Et subuecta rotis nox tenet atra polum.

### CONRADVS III.

**M**ortuus in tristi cum carcere filius esset  
Regis, ab offenso qui patre captus erat.  
Frater adoptatus fratris Conradus honores,  
Auspicio regni prosperiore tulit.  
Hic cum Tyrigetis ad Moenum praelia fecit.  
Dura gerens forti pro patre bella manu.  
Sed fuit à summo deuotus praesule diris,  
Dum negat illius iussa superba sequi.

Urbs

Urbs ubi Parthenope sublimibus ardua muris,  
Surgit, & aequoreis pulsa feritur aquis.  
Reddidit expirans animam, natoq; reliquit,  
Frena parum fausta suscipienda manu.  
Deficiente sua qui stirpe propaginis, heres,  
Ultimus ex tota gente superstes erat.  
Hunc Papa crudeli uiolenter cade necauit,  
Sueuia Principibus sic fuit orba suis.  
O faciles animos, & mitia pectora regum,  
Hac à praesulibus quod potuere pati.  
Iusticia flecto quoties te nomine iactas,  
Hoc agnosce tuum crimine Roma scelus.

### GVILHELMVS.

**D**um gerit incautis bellum temerarius armis,  
Nec satis instructo praelia Marte facit.  
Occidit à Phrisio Guilielmus milite casus,  
Per geminos annos uix ubi scepra tulit.  
Huius ab interitu sedes sine rege uacauit,  
Dum tria sunt annis addita lustra tribus.  
Interea magno fremuit Germania motu,  
Factaq; sunt multis praelia multa locis  
Cum duce dux bellū princeps cum principe gessit,  
Vlla nec urbs solida pace quietata fuit,  
Scilicet ut certo naues rectore carentes,  
Obruit insani fluctus, & unda maris.

Sic labefactatur belli ciuilibus undis,  
Imperij sedes cum sine rege uacat.

### RODOLPHVS.

**C**omposuit mitis ciuilia bella Rodolphus,  
Temporibus pacem restituitq; suis.  
Marte Doringiacas latronum subruit arces,  
Aduena frugiferos qua Sala findit agros.  
Vltus & est iustis Otocarum fortiter armis,  
Regna sub arbitrio Vandala cuius erant.  
Boiorumq; ducem domuit, Sueuumq; ferocem,  
Qui duo cum gemino cornua pisce gerit.  
Norica finitimis iacet urbs contermina Francis,  
Diuitijs usquam uix habet illa parem.  
Cuius honorificum titulum nomenq; Rodolphus,  
Principibus dono cum regione dedit.  
Qui piscosa tuæ dominantur Marchia terræ,  
Ac titulos hodie Noridos urbis habent.

### ADOLPHVS.

**A**ustriaco bellū cū principe gessit Adolphus  
Sceptra trucidatus quo capiente fuit.  
Hic ubi Vangionum sedes urbemq; uetustam,  
Alluis instabili Rhene bicornis aqua.  
Quæ fuit antiquis habitata Gigantibus olim,  
Corpora cum tellus prodigiosa tulit.

Vt testantur

Vt testantur, ibi grauibus quæ nexa Cathenis,  
In medio pendent ossa stupenda foro.  
Qualia Trinacrio memorant subiecta Peloro,  
Grandia congestis molibus ossa premi,  
Quin & Misniacæ Fridericus Marchio terræ,  
Qui profugæ morsus dente parentis erat.  
Hunc fera miscentem superauit prælia uictor,  
Mcenibus angustus urbs ubi parua iacet.  
Tyrigetis fortes quæ milite separat Hessos,  
A crucis & nomen monte uocata tenet.

### ALBERTVS PRIMVS

**I**ntulit Albertus uiolentis arma Bohemis,  
Attribuens nato regna tenenda suo.  
Et Moguntiacò gessit cum Principe bellum,  
Cum ducè quòd Bauarò fœdere iunctus erat.  
Qui cupidus regni summos ambibat honores,  
Contudit hostili uictor utrumq; manu.  
At misere periit iugulatus fraude nepotis,  
Qua iacet Austriaci fertilis ora soli.  
Vtq; parum iustus armis oppressit Adolphum,  
Sic obijt coesus uindictis esse necem.

### HENRICVS VII.

**Q**uæ florente statu rerum Florentia nomen,  
Vrbs tenet, ac ripis adiacet Arne tuis.  
Cæsaris

Casaris Henrici parere negabat habenis,  
Freta suis opibus, robore freta suo.  
Hanc, ubi uindictibus cinctam legionibus urbem,  
Ipse subacturus fulmine martis erat.  
Thuscia conduxit sceleris mercede ministrum,  
Dominici tonsio de grege frater erat.  
Toxica qui prabens illi sub corpore Christi,  
Manducanda sacro pane uenena daret.  
Allatura pijs mortalibus esca salutem,  
Causa necis Regi perniciofa fuit.

### LVDOVICVS BAVARVS & Fridericus Austriacus.

**R**Egibus incesit discordia magna duobus,  
Summa quibus rerum tradita cura fuit.  
Aspera collatis inierunt praelia signis,  
Qua celer humectat Neccarus arua uadis.  
Attulit optatam Bauaro uictoria palmam,  
Austriaci uires succubere ducis.

### CAROLVS IIII. Et Gintherus.

**H**Os quoq; seua duos elegit factio Reges,  
Sed lis alterius morte dirempta fuit.  
Incluta qua Moeni lapidosis adiacet undis,  
Vrbs à Francorum nomen adepta uado.  
Acria ciuili moturum bella tumultu,  
Funere Gintherum mors properata tulit.

Qui

Qui ramosa gerit uelocis cornua cerui,  
Indomiti fregit Carolus arma ducis.  
Gymnasiumq; recens ad flauum condidit Albini  
Hic ubi turrato culmine Praga iacet.

### VENCESLAVS IGNAVVS

**P**igra quod ignauro traduxerit ocia luxu,  
Nactus id à uita deside nomen habet,  
Gloria non illi sed turpis inertia cura,  
Atq; saginato corpore uenter erat.  
Militiam fugit, pacis uirtute nec unquam,  
Egregio dignum principe fecit opus.  
At piger ingluuicem dapibus uinoq; replebat,  
Et graue distenti uentris aiebat onus.  
Omnibus exosus ceu detestabile monstrum,  
A proprio captus uincula fratre tulit.  
Hoc inuenta fuit sub Casare machina belli,  
Cuius ab impulsu moenia quassa ruunt.  
Concipiens rapidum quæ fomite sulfuris ignem,  
Acta procul nitri puluere saxa iacit.  
Atq; coruscantes flammæ imitatur olympi,  
Aethera terribili concutiente sono.  
Ceu uibrata cadunt trifidis ubi fulgura telis,  
Hoc sibi Germanus uendicat autor opus.

### ROBERTVS.

E 2 insuper

**I**nsuper infregit Galeacius arma Roberti,  
Cum tulit auxilium gentibus Arne tuis.  
**P**ro quibus aduersi discrimina Martis adibat,  
Victor ubi Tuscos est populatus agros.  
**I**nclyta qua doctis iacet Edelberga Camcenis,  
In patria leni morte quieuit humo.

### SIGISMVNDVS.

**T**erra iacet gelido sub fydere menalis urfa,  
Terra paludosis inuia fluminibus.  
Nomen ab antiquis tenet inclyta Marchia marsis,  
Quos ibi cum Sueuis tunc habitasse ferunt.  
Tempore quo pugnax rapuit Germania Drusum,  
Varius & Arminij concidit ense ducis.  
Hoc Sprea testatur gelidis uberrimus undis,  
Qui ueteri dictus nomine Sucus erat.  
Cœruleum cuius perlabitur agmen aquarum,  
Hanc & arenoso flumine radit humum.  
Post, ut ab Augusto deducti Casare, Sueui,  
Mutauere, prius quos tenuere, lares.  
Teutonicis pulsus, multos habitata per annos,  
Vandalicis regio gentibus ista fuit.  
Donec ab aucupio nomen qui dictus habebat,  
Casarea meruit sceptra tenere manu.  
Expulit externos hoc uindice Marchia reges,  
Vrbis ubi fractas debilitasset opes.

Quam

Quam bibula dirimit sulcator Halleuus arena,  
Humida qui patriæ perfluit arua meæ.  
Hæc nisi clara suis Heroibus ante fuisset,  
Terra, Sigismundo principe clara foret.  
Natus enim ueteri magnorum sanguine regum,  
Is prius Arctoe Marchio gentis erat.  
Quam uel Pannonia fuit accersitus in oras,  
Aut regni tenuit frena Boheme tui.  
Mitis ut optata concordia pace coiret,  
Cum sacra plena diu curia litis erat.  
Concilium solenne patrum regumq; uocauit,  
Qua fuit Huss duram passus in urbe necent.  
Tres ibi Romano solio priuauit iniquos  
Pontifices, inter quos graue schisma fuit.  
Signa Borysthenidas ultricia mouit in hostes,  
Marte sed aduerso tristia damna tulit.  
Ingenuas habuit summis in honoribus artes,  
Atq; uiris doctis munera multa dedit.  
Cum quibus interdum conuiuia letus agebat,  
Ex humili quamuis ordine plebis erant.  
Sicq; suos proceres hortari sepe solebat,  
Artibus ut uellent incubuisse bonis.  
Fama per ingenuas & gloria queritur artes,  
His fauor ac regum conciliatur amor.  
Ipse sed incertis patrias heredibus urbes,  
Morte relicturus cum sine prole foret.

E 3

Marchia

Marchiacus dono Friderico tradidit oras,  
Imclytus is praeses Noridos urbis erat.  
Bellaq; uindictibus pro Casare gesserat armis,  
Tunc ubi Pannonio captus ab hoste fuit.  
Tentonici genitor fuit hic Fridericus Achillis,  
Cuius & hic paucis uersibus acta canam.

ALBERTVS MARCHIO  
Brandenburg. Germanicus  
Achilles appellatus.

**Q**ualis erat, quantusq; fuit bellator Achilles  
Hectora qui circum Pergama traxit,  
Talis erat, tantusq; fuit uictoricibus armis ( equis,  
Qui ducis Aeacide Marchio nomen habet.  
Militia teneris, hic castra sequutus ab annis,  
Conseruit fuso saepius hoste manus.  
Quam pleriq; duces belli sub imagine, ficto,  
Ludicra uiderunt praelia marte geri.  
Nec fugiens unquam tergo, sed pectore semper,  
Fortis in aduerso cognitus hoste fuit,  
Ora manusq; gerens concissaq; brachia ferro,  
Mille cicatrices, uulnera mille tulit,  
Inuictos domuit populos gentesq; feroces,  
Frigida quas rigidis educat ursa plagis.  
Quas niue duratas & Rheticus asperat Ister,  
Non tulit in molles strenuus arma uiros.

Quae

Quae preciosa legit canis electra sub undis,  
Prussia, Sarmatico limite iuncta solo.  
Ipsius audito tremuit clangore tubarum,  
Victaq; pugnaci milite terga dedit.  
Ipsius attoniti fugerunt arma Poloni,  
Territa montanum ceu fugit agna lupum.  
Norica quae duris uiget artibus inclyta belli,  
Istius urbs nouies Marte cruenta fuit.  
Adde quod Hussitas compefcuit, adde quod agmen,  
Silesij pepulit uictor equestre ducis.  
Qui parere ferox illiq; subesse negabas,  
Contudit ac forti te Pomerane manu.  
Bella sed assiduo licet irrequietus agebat,  
Si qua fuit nunquam pax odiosa fuit.  
Huius adhuc uiuunt gemini de stirpe nepotes,  
De quibus hoc addam pauca sed apta loco.

IOACHIMVS PRIMVS  
Electo Marchio Bran-  
denburgensis.

**Q**uae Ioachime tuis praeconia laudibus addam  
Qui trahis à magno natus Achille ge-  
Nam tua promeruit tantam facundia laudem (nus.  
Magnanimi quantam dextera fortis aui.  
Os quoties caeleste moues linguamq; disertam,  
Exuperas dulci Nestora uoce senem.

E 4

Sud =

Suauior hybleo tibi copia melle redundat,  
Verbaq; ceu densis imbribus acta fluunt.  
Te mirata frequens fuit urbs Augusta loquentem,  
Rhetoris imposuit cum tibi Caesar onus.  
Ipse nec es patria tantum sermone disertus,  
Cuncta potes lacio, quæ cupis, ore loqui.  
Edita testatur cultis oratio uerbis,  
Omnibus ingenij nomine grata tui.  
Nec uarias piguit necum te discere causas,  
Quæ sacra cœlestis semina mentis habent.  
Quas honor antiquis Aegipti regibus olim,  
Summaq; principibus gloria nosse fuit.  
Cognita syderei tibi sunt animalia cœli,  
Prescius & longe fata futura uides.  
Cumq; bonis faueas studijs, ac rebus honestis,  
Ingenuas artes qui coluere, colis.  
Quos, ut ab Hetruscis Mecœnæ regibus ortus,  
Sic tua profusis sumptibus aula fouet,  
Atria struisti doctisq; palatia musis,  
Auspicijsq; recens est schola sceptrata tuis,  
Hic ubi marchiacos disterninat Odera fines,  
Ac tua Sarmatico iungitur ora solo.  
Nec diuina tui moderatio pectoris unquam,  
Bellica ciuili prætulit arma togæ.  
Publica tranquilla conseruas ocia pacis.  
Nullaq; funesti prælia martis amas.

Hæc

Hæc te semideis uirtus Heroibus æquat,  
Non habet hoc similem tempore Roma tui.

ALBERTVS CARDINA-  
lis Elector, Archiepiscopus Mogun-  
tinus etc. Marchio Branden-  
burgensis.

Nec te carminibus nostris Alberte tacebo,  
Nobile præsul aui nomen adepte tui.  
Ipsa gubernatrix caput & Germania mundi,  
Quo nihil excepto Casare maius habet.  
Omnis cura tibi magnarum tradita rerum,  
Inq; tuis humeris grande recumbit onus,  
Tu medium pacis te conditionibus offers,  
Teutoniam armorum dum pauet ora metus.  
Dumq; ducum tacite fraudes, & operta tumescunt  
Bella domi nobis, bella timenda foris.  
Et sacra turbatur uarijs Ecclesia scētis,  
Omnia mixta quibus fanda nephanda iacent.  
Ergo quod exultant securis publica terris,  
Ocia, suppresso bellaq; Marte silent.  
Quodq; graui nondum Germania mota tumultu,  
In suas conuertit uiscera cæde manus.  
Se debere tuis meritis Alberte fatentur,  
Composita quotquod commoda pacis amant.

E S

Ne qua

Ne qua sed existat metuendi causa furoris,  
Afflictis fidei rebus & affer opem.  
Induat ut uerum pietas renouata nitorem,  
Quæ modo disidijs tot labefacta ruit.  
Quod si composito, per te sublata tumultu,  
Schismata turbatæ religionis erunt.  
Donec adorabit nomen Germania Christi,  
Laudis erit nunquam fama caduca tuæ.

### ALBERTVS II. CAESAR.

Contulit Alberto regale Bohemia sceptrum,  
Ac subiecit opes Pannonia terra suas.  
Nupta quod illius thalamo, lectoq; iugali,  
Nata sigismundi regis Elissa fuit.  
Quæ uelut exemplum Lucretia casta pudoris,  
Aequabat morum nobilitate genus.  
Teutonici ductu Thaboritas fudit Achillis,  
Colluies quædam gens ea plebis erat.  
Templa Bohemiæ quæ disiciebat in oris,  
Atq; sacerdotum diripiebat opes.  
Illaturus erat Turcarum bella Tyranno,  
Morte sed extinctus præueniente fuit.

### FRIDERICVS III.

Tertius

Tertius utilior Fridericus ad oia pacis,  
Aspera quam duri Martis ad arma fuit.  
Quo Burgundiones Vbiorum depulit oris,  
Teutonici bellum gessit Achillis ope.  
Quæ dedit ars nobis impressos ære libellos,  
Facta sub hoc primum Casare nota fuit.  
Hæc, si temporibus prisca inuenta fuisset,  
Qua nihil utilius totus hic orbis habet.  
Nostra libris hodie frueretur pluribus etas,  
Defraudata quibus secula nostra carent.  
Hanc operosa nouam Moguntia protulit artem,  
Quæ celebri Mogo nomen ab æne tenet.

### MAXIMILIANVS.

Maximus occiduis fuit Aemilia: in oris,  
Captus, ab indigenis perfida Brugi tuis.  
Ipse sed ereptus celeri uirtute parentis,  
Vincula qua tulerat, mox tulit arma, manu.  
Depulit Hunniadem à sedibus ultor auitis,  
Qui fuit Austriacis Marte potitus agris,  
Signaq; regalem uictricia mouit ad Albam,  
Horruit inuicti Casaris arma Sauus.  
Pannonæ euersis, & submisere pharetris,  
Spicula quæ ferro tinctile uirus habent.  
In Mahometigenas deduxit & agmina Turcas,  
A quibus affectus clade Liburnus erat.

Ante

Ante sed aggressus, quam praelia miscuit, hostem,  
Versa metu pauidi terga dedere Getæ.  
Contudit indomitum debelauitq; Sicambrum,  
Victa prius nunquam dextera cuius erat.  
Norica uastantes occidit ex arua Bohemos,  
Marte Palatinas cum sequerentur opes.  
Nec semel est ultus rumpentem foedera Gallum,  
Instabilem summi Pontificisq; fidem.  
Conscendens Tyrj ductoris ex amulus Alpes,  
Fudit in aeris montibus Heluetium.  
Quid loquar Euganea Venetum cum plebe senatus  
Quos domitos terra, quos superauit aqua.  
Adriaci uasto trepidabant equore nautæ,  
Mercibus ac plenas destituere rates.  
Vrbis ubi uictor Patauinæ moenia cepit,  
Tantus erat terror, tantus ubiq; metus.  
Vltima, post duros ærumnosq; labores,  
Fata pium terris eripuerunt senem.

### CAROLVS V.

**D**uc quibus cœlo te Carole laudibus æquem,  
Carole non ipso quem regis orbe minor.  
Cæsare quo maior ualidisq; potentior armis,  
Nullus ab Augusti tempore sceptræ tulit.  
Imperium terris animos æquabit olympo,  
Auspicijs foelix Teutona terra tuis.

Qui

Qui prius ibat ouans Gallus plaudentibus alis,  
Præda tuis Aquilis sanguinolenta fuit.  
Signaq; Ticini submitit captus ad undas,  
Militis inuicti robore fracta tui.  
Clauigeriq; Petri sub nomine regna tenentem,  
Arcta coegisti uincula ferre Papam.  
Sæua cohortatus Venetum quod ad arma senatum,  
Istaq; cum Gallo foedera pactus erat.  
Tendere te lacias Florentia sensit in oras,  
Sanguineo Martis fulmine capta tui.  
Quæ confisa suis opibus, rebusq; secundis,  
Irridere tuum non metuebat auum.  
Illum retrogradi cum tergo insidere castris,  
Pinxerat hoc titulo: Tendimus in Latium.  
Turca triumphato qui formidabilis Istro,  
Barbara Germanis tela minatus erat.  
Et cæsura suo sperabat cuncta furori  
Iuratus patrios, numina uana, Deos.  
Quod foret Euxinas nunquam rediturus ad undas  
Ni prius ad Rhæni castra locasset aquas,  
Ante tubam fugit nec bellica degener hostis,  
Militis est ausus signa uidere tui.  
Marchio uertentem Ioachimus terga secutus,  
Auspice te magna funera strage dedit.  
Millia prædonum bis quatuor intulit Orco,  
Austriacam quorum cæde piæuit humum.

At po

At procul ad septem fugiat licet ostia Nili,  
Aspera uindicta sentiet arma tua.  
Aedita nam prisca oracula uersibus extant,  
Qualia Cumeæ carmina uatis erant.  
Quæ tibi de Solyma promittunt urbe triumphum,  
Illa quod imperium sit subitura tuum.  
Ergo nisi ueterum sunt irrita carmina uatum,  
Quæreor euentus mox habitura suos.  
Tempus erit, cum te spolijs Orientis onustum,  
Quadrijugis referet currus eburnus equis,  
Luentiq; gerens immitia uincula collo,  
Ante tuas ibit Turcia capta rotas.  
Plaudentesq; tuis resonabunt laudibus urbes,  
Austriacæ per quas uictor iturus eris.  
Læticiaq; fremet, conceptaq; gaudia ducet,  
Pannonis hostili terra soluta metu.  
Tunc ego non paruis elegis, humiliq; Camœna,  
Sed tua Pæonio carmine facta canam.  
Si modo quæ uita despensant fata, sorores,  
Temporibus dederint stammina longa meis.

### FERDINANDVS.

**H**oc opus exegi florentibus integer annis,  
Bis duo cum natus lustra Sabinus eram.

Tempore

Tempore quo Geticos Rex Ferdinandus in hostes,  
Arma, suo bellum fratre gerente tulit.  
Vnanimis cum quo regni moderatur habenas,  
Et graue terrarum sustinet orbis onus.  
Viuite semidei, concordēs uiuite fratres,  
Omnia sub uobis, uesper & ortus erunt.  
Vos metuat primus, uos ultimus horreat orbis,  
Vos & si qua parum terra ueretur, amet.

FINIS.

VVITEBERGAE,  
In officina Typographica  
Viti Creutzer.

